

Ann. VII.

Num. VIII.

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS


SEMEL IN MENSE PRODIT

Premium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 4,80;  
ubique extra Italiam Lib. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5; M. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in commentarii operculo  
Lib. 0.10 pro unoquoque centimetro quadrato.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA



## Subnotatio fieri potest:

### IN RUSSIA

Apud GEBETHNER ET WOLF Apud "KRONIKA RODZINNA", Apud BURNS AND OATES  
—  
VARSIAE POLONORUM VARSIAE POLONORUM LONDON W.  
Rakowskie Przedmiescie, 15. Krakowskie Przedmiescie, 6 28, Orchard Street.

### IN ANGLIA

AMERICAE SEPTENTR. IN CIVITATIBUS FOEDERATIS  
Apud FRIDERICUM PUSTET Apud FRIDERICUM PUSTET  
S. Sed. Ap. et S. Rit. Congr. Typ. NEW YORK CINCINNATI

### IN GERMANIA

Apud FRIDERICUM PUSTET Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES  
S. Sed. Ap. et S. Rit. Congr. Typ.

### IN CANADA

MONTREAL  
1699, Rue Notre-Dame.

## RERUM INDEX

**Pio X Pontifici Maximo.**

**Accrescens Pontificatus Romani sublimitas.**

**De bello inter Iaponios et Russos.** Cuiusnam Coreana peninsula?

**Fabulae selectae Fontanii a Ioanne Bapt. Giraud latine redditae, passim  
retractatae a Francisco Xav. Reuss:** CXXIV. Stultus sapientiam vendere visus.

**Tibicinum manipuli ad bellum.**

**De festo Assumptionis Beatae Mariae Virginis.**

**Sacrarum Missionum recensio.**

**Aestiva diverticula.** In via ductu ferrea de socialismo colloquium.

**Acta pontificia:** Litterae Apostolicae, quibus Pio Operi de Fidei propagatione Pa-  
tronus caelestis tribuitur Franciscus Xaverius.

**Ex SS. Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae.**

**Diarium Vaticanicum:** Coram SSmo admissiones. - Pontificiae electiones. - Varia. -  
Vita functi viri clariores.

**Annales:** Iaponicum bellum. - Thibetana Anglorum expeditio. - In Turcarum imperio  
seditiones. - Americani motus. - Pacis foedera.

**Publici per Orbem coetus legibus ferendis.**

**Per Orbem.**

**Aenigmata.**

**Libri recens dono accepti.**

## ROMAE

EX OFFICINA PACIS, PH. CUGGIANI

35, Via della Pace

MDCCCIV

## SUPELLEX AD RES DIVINAS.

Commentarii *VOX URBIS* administratio recto tramite suppeditat supellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad *VOCIS URBIS* administratorem (Romam, *via Alessandrina, 87*) mittantur, res praecise indicando quae quisque sibi cupit. Gratuito sumptuum aestimatio fiet.

---

## *SOCIIS MONITUM.*

Sociis pluribus morem gerentes Idib. Novembr. an. MDCCCCII apud Commentarii *Vox Urbis* administratorem officium instituimus, quod de negotiis Ecclesiasticis esset; de expediendis scilicet rationibus omnibus, quae apud Romanae Ecclesiae « Congrationes » aguntur.

Itaque si quis procuratione nostra uti velit, profecto temperantiam in pretio, studium atque alacritatem in opere inveniet.

---

## SATURIO,

Comoedia latinis versibus conscripta a clarissimo viro Ioanne Baptista Francesia et per Commentarii *VOX URBIS*, paginas vulgata, in volumen redacta est, quod apud Commentarii eiusdem administratorem venale prostat lib. 1.

☞ IN LUDIS LITTERARUM OPTIMA TIRONIBUS SCENICE AGENDI EXERCITATIO. ☞

Ann. VII.

ROMAE, Kal. Augustis MDCCCCIV.

Num. VIII.

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:

In Italia: Lib. 4,80 — Ubique extra italiam:  
Lib. 6,25, Doll. 1,25, Sch. 5, M. 5, Rubl. 3, Coron. 6,25

SEMEL IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:  
ARISTIDES LEONORI, eques.  
ROMAE — Via Alessandrina, 87.



In imagine pertransit homo / Gal. xxxviii. 7 /

Pius PP. X.





PRID. NON. AVGUST. A. MDCCCCIV

QVOD

## PIVS X P. M.

SACRI PRINCIPATVS ANNVM VNVM EMENSVS

DELICIAE HVMANI GENERIS EST FACTVS

VOX VRBIS COMMENTARII MODERATORES

PLAVDENTES VERTVNT IN OMEN

VT DESIDERIVM PATERNI ANMI PIENTISSIMVM

INSTAVRANDI OMNIA IN CHRISTO

MOX FELICITER COMPLEATVR



ACCRESSENS

PONTIFICATUS ROMANI  
SUBLIMITAS.

**C**OGITANTI praecipua quae in illo aestu animalium, saeculis XIV ac XV defluentibus, de religionis Christianae rebus facta sunt, in primis appareat novas immutationes non substituisse ad ea tantum quae religionem attingerent, sed latius longiusque migrasse. Quid mirum? Si medio in oceano procella desaeviat, etiam, quae remotissimas alluunt oras, aequora conturbantur.

Hinc et ea, quae civilis erant iuris, diurno tot saeculorum fluctu percussa et perpetua undarum lima in fundamentis paene consumpta, repentina illo divulsa impetu, ruina subita considerunt.

Quod quidem plurimis, qui res in cortice et in corte tantum consideraverant, mirabiliter et ex inopinabili accidisse visum est; sed iis, qui praesertim gaudent, solentque

*in principiis, in origine rerum**Defixisse oculos et nobile mentis acumen,*

aliud profecto erit; non enim illud coepit esse quod non erat, sed illud patuit quod latebat.

Atque ipse quidem aperte fatebor multa, fortasse plurima, fuisse in axiomatibus civilis iuris, quae in Ius Romanum manaverant, et quae dignitati naturae, hominumque libertati repugnare videbantur, ea praesertim quae a dynastis et regibus in rem, honestatem vitamque subditorum pro libitu patrabantur, quibus liberos, coniugesque suas et opes ab istorum petulantia ac rapinis integros conservare non licebat.

Hinc ex illa religiosa perturbatione, qui muti formidine in secretis domi fremebant, quasi fe-

liciter occasione oblata et cupide arrepta, religiosum ac civile simul ius confringere uno incursu optime rati sunt, quippe (uti Ennius ait)

*cupide conculcatur nimis ante metutum.*

Arduum quaesitu est et brevibus hisce paginis impar dictu, qua de causa potissimum illud incendium non minus in religionis dogmata quam in civilia iura flagraverit; at si exosa ea potestas, quae corpora tantum et res opprimebat, quae et cupiditates humanas quotidie coercedebat, et obedientiam potestati illi «propter conscientiam» praedicabat, dupli certe odio, ac geminato vulnere exterminanda videbatur.

Hinc dum nova iuris civilis constitutio quasi aedificium struebatur in campo, ad quem religioni catholicae nefas esset accedere, haec ipsa religio suae traditionis obligata vinculis, veteribusque morum consuetudinibus tenebatur, adversus quae omnia, quasi ligone et securi armata manus, critica philosophica spatium alterius excidio dilatabat. Quapropter, dum nova religionis reformatio, halitu libertatis et rebellionis acta, in apertum ferebatur aequor, fines praeteriens, quos traditio signaverat, Ecclesia Catholica se posse eam sequi negabat, intimis affinitatibus, et historicis opportunitatibus iuxta litus, quasi catenis quibusdam prudentiae retenta, ne in tenebrosum ignotumque temerario ausu progredi videretur.

Illud inde dissidium, dentibus et unguibus tenacius haerentibus et satagentibus, retentum ac productum, cui par historia paene non memorat, quo duae illae potentissimae causae, et incitamenta cuiusvis optimae innovationis et praestantioris conditionis civilis, nempe auctoritatis notio et sensus libertatis, traditionis sententia et cupiditas novitatis, sapientia divina

et scientia humana, brevi hinc fides illine ratio non modo altera in alteram tuebatur aversa, sed enixe modo in diversa, modo in contraria procedebant, nec interdum se ab hostili animo temperabant.

Quapropter illa animorum commotio, quae, tamquam ad ostia sibi debita, profluens in tempora gallica illius perturbationis labente XVIII saeculo, totius Europae, immo fere totius Orbis populos funditus moribus, iudiciis, voluntate mutavit, plurimis appetit veluti diuturnum praelium acriter a ratione humana et progressu certatum, quo praediudicia antiqua (hoc nomine Christi fidem et Christianos mores appellant) repulsa ex acie, depulsaque sunt.

Quo factum est ut quotquot catholicis rebus praecipue studebant, illud in primis propositum sibi ducerent, ut quo possent modo novarum rerum inde venientium retardarent cursum, et ipsi contra nantes atque conantes non ad ostia, sed in caput labentis fluminis adversi ferrentur.

Quid ultra? Eo processum est, ut, siquid ex novo illo fonte manaret, vel tamquam pollutum origine, vel saltem veneni cuiusdam non carere suspicione duceretur, ac proinde quasi mortiferum quoddam, aut quasi periculosum iudicatum penitus reiiceretur.

Quod quidem, geminis partibus praescriptum veluti absolutum criterium, geminis pariter damnosum fuit, sed et hoc ineluctabilis historiae progressus ducebat, in quo saepissime per quamdam antithesim plura procedunt; cuius praediudicii effectus hi fuerunt, ut inde a singulis quae Catholicum saperent horrerentur, inde scientia rerum et hodiernae vitae ratio portrectis contra brachiis quovis nisu repellerentur.

Verum omnia fert aetas; atque ipso attritu iugi aerumnoso asperitates eo usque imminutae sunt, ut, quae principio inter se consentire non posse viderentur, denique simul convenienter.

Sic rebus magna ex parte mutatis, ad illud harmonicum pristinum et religio et progressus felici quodam omne et instinctu inclinantur, atque, ut Poetae verbis utar,

*iam proxima signant**Fata vias.*

Siquidem in agmine ipso cogitationum humanarum sententiarumque inde erumpentium initia illa apparent, quae magnum est apparuisse et emersisse ab aequore; nam quae futura sunt proculdubio maxima pollicentur. Quis enim negabit ver esse in limine si vineae floruerint?

Profecto non erit facile demonstrare quo modo, quo tempore, quo satagente viro primum veritati stratum iter fuerit, quo denique victrix et gloriosa gradiretur; hoc unum vero certum firmumque tenemus, Ecclesiam Catholicam primo perspexisse quid boni, quid proficui in adverso campo germinaret, quid legendum, quid regendum, quid mutandum tenui conatu tantummodo posset ut exoptabile haberetur; atque hac de causa sibi esse ius vindicandi seu proprium quicquid suis ex principiis manasset, cetera vero ad se revocandi, siqua bona fuissent, quum et ipsa iusti, verique, et cuiusvis virtutis iudicio polleat, et quae iusta, vera et honesta sint augere monitu atque auctoritate, et ad humani generis felicitatem scite dirigere et diutissime conservare.

Latissima quidem et multiplex haec actio patet; at sexcentis peculiaribus, singulisque actis constat patienti et longanimi constantia patratis, quibus factum est ut conscientia cordatorum virorum omnium sentiat iam concordiae stabilendiæ inter religionem et perspectos progressus et acquisitiones activitatis humanae necessitatem; qua concordia semel inita, hæc, sociatis armis, et humanum genus, et semet, et sua tueantur ab incursu et impetu vitorum recentiorum, quae nova rerum dispositione eruperunt, et quibus humana societas penitus convellenda a fundamentis quassatur.

Itaque, qnemadmodum reliqua Ecclesiae historia, haec historiæ periodus, qua evolutio huiusmodi continetur, omnis est ac tota et integra, quasi naturali et proprio fulcro et cardine inixa, in historia Pontificatus Romani; quemadmodum, ne hodie longiores simus, alias videbimus.

R. M.

## DE BELLO INTER IAPONIOS ET RUSSOS

*Cuiusnam Coreana peninsula?*

**T**AMQUAM cuspis in nostrum litus conversa, — haec quidam reipublicae peritus vir Iaponius aiebat, — Coreana terra nos urget. Itaque aut Russica aut nostra erit; ad rem vero trecenta millia militum nostrorum morientur.

Ab antiquissimis enim temporibus Coreani incolae in alienam ditionem deciderunt, Iaponiorum praesertim, qui a tertio usque post Christum natum saeculo ad decimum tertium eorum tributa cologerunt. A medio vero hoc saeculo, fervente in Iaponia civili bello, peninsula Sinenses potiti sunt. Sed duobus post saeculis utriusque populo iterum subiecta est, quamvis Fusianensem tantum portum arma Iaponiorum occupaverint.

Saeculo denique XIX labente a Iaponiis invadentibus effectum est, quod iamdiu incassum et Galli et Germani et Americani tentaverant, ut litora Coreana nostris commerciis paterent. Kokwanum foedus dicta pactio est, qua Sinense omne imperium est a Coreana terra abactum, atque soluta libertas eius recognita; Iaponiis commerciis multa privilegia inde cesserunt.

Hoc sequutae exemplum pleraque gentes similia cum Coreanis foedera ferierunt: Angli, Americani, Galli, Germani, tandemque Russi, quo adusque, Ito, Iaponio marchione, rem gerente, Li-Hung-Chang ille Sinensis praefectus Iaponiis concessit in Coreanas terras iura esse Sinensium apprime similia.

Anno vero M DCCC LXXX VI Sinensis quidam delator machinationem paratam scivit ad Coream terram Russicæ ditioni tradendam. Ut rei obstarent Angli Hamiltonium portum occupare; verum Russis obtestantibus se nullam umquam Coreanam terram sibi subiecturos, Angli ipsi recessere. At octo post annos de re Coreana acerrimum exarsit inter Sinenses et Iapo-

nios bellum, ex quo quum victores Iaponii discessissent, haud tamen addicere sibi peninsula voluerunt. Obstantibus autem una simul Europæ gentibus Liao-ting quoque litus relinquendum Iaponicis fuit. Anno sequenti Miura, Iaponius dux, ut rem redintegraret machinatus scelus est, quo et regem et reginam Coreanam captos audivimus, hanc caesam, illum captivum deductum. Qui tamen quum illaesus penes Russicum legatum confugisset, ita factum est ut inde Russica auctoritas vehementer Iaponiorum potestatem concusserit.



Nil igitur reliquum, quam ut ad foedera rediretur, quae de Coreana libertate tutanda inter utrumque populum iterum sancta sunt anno M DCCC XC VIII. Quum vero commercia quavis lege soluta mansissent, in ea augenda omnem opem Iaponii contulerunt. Itaque brevi accedit, ut de deducendis per eam terram ferreis viis ius omne suum esset, ut argentariae Iaponiorum mensae ubique per Coreanas oras conderentur, ut anno MCMII Anglicæ quoque inita pactio Iaponiorum rationes in Coreana terra permagnas recognoverit, ut denique Seoul in urbe capite Iaponiorum cohors una manserit. At Russi Arthurum portum occupaverant, eique innixi primam ultimi orientis atque fortissimam gentem suam tandem aliquando futuram optim sibi paraverant.

Recens itaque bellum hisce eventibus parabatur.



Anno enim MCMII Wladisvostockio ex urbe capite, nacti occasionem ex privilegio quadam russico mercatori iamdiu concessso, militesque officialesque Russi Ya-lu flumen transvecti ad Yong-am-pho usque descenderunt in victa veluti terra ibi considentes. Neque vero Coreani legati et Iaponensis protestationes aliquid obtinuerunt; quum colonia illa Russia ita paulatim amplificata fuerit, ut sacros usque Paing-ma in monte lucos caedere sacrilega manu Russi non dubitaverint.

Neque tamen Sinenses neque Europaea ulla gens aut Americana, neque Iaponii hoc Russorum iter lentum at constans cohibere valebant; itaque eo res devenit, ut bellum necessario inde exoriretur. Iamque enim aemuli nudo gladio stabant utrinque, quum novissima de Mandchouria provincia quaestio exorta est, unde causa belli ultima commota. Iaponiis enim de Mandchouria terra, tamquam de finibus unde patens via in Coreanos esset, intererat: non igitur de Mandchouria, sed de Corea potiunda decertatur, atque ideo Mandchouriae libertas exposcit, ut Iaponiis gentibus Corea terra tuta sit. Quod si eventus tales cessuri erunt quales hic usque vidimus, facile coniectu erit Iaponios iamdiu optata sua tandem aliquando consequenturos.



## FABULAE SELECTAE FONTANII

A IOANNE BAPT. GIRAUD LATINE REDDITÆ  
PASSIM RETRACTATAE A FRANCISCO XAV. REUSS (1).

## CXXIV. — STULTUS SAPIENTIAM VENDERE VISUS.

*Stultorum lateri proprius ne, lector, adesto;  
Utere consilio (tutus erisque) meo.  
Stulis terra scatet, plauditque dicacibus aula,  
Quum sale ridiculos forte malosque fricant.  
Hanc mittens vocem, plateas vir ineptus obibat:  
— « Adsum, qui sophiam vendere cuique velim ».  
Plurimus accurrit vicis ex omnibus emptor,  
Occupat et totum credula turba forum.  
Accepto pretio, mercator labra cachinnis  
Pandit crassa, simul quassat inane caput.  
Quassat, et emptori filum tripedale remittit,  
Visus mox alapam iungere gratuitam.  
Irasci plures coepere; sed ira quid ictis  
Profuit? Inde magis fabula plebis erant.  
Sic rident, ter quisque suo candente beatus  
Filo, ter colapho quisque rubente suo.  
Sensem nosse rei si quis voluisse, eumdem  
Tota salutasset plebs asinale caput.  
Laesum numquid enim cerebrum ratione regatur?  
Nonne penes fatuos singula casus agat?  
Unus at emptorum fili colaphique latenter  
Rimari causam tentat, aditque sophum.  
Qui, nil cunctatus: — « Mera sunt haec symbola - dixit -  
Queis tamen eximius sub cute sensus inest.  
Audi: quam longe potes hoc pretendere linum,  
Tam procul a stultis digrediare, vigil.  
Ni facias, referes ingratum munus: id apte  
Insipliens sophiae venditor ille docet ».*

(1) Cf. num. sup.

## TIBICINUM MANIPULI AD BELLUM.

**B**ELLUM quod Mandchouria in provincia geritur quid tibicinum manipuli in pugna valeant non semel iam exemplo revocavit. Chemulpo enim in portu, dum *Variag* dumque *Koreetz* naviglia Iaponiorum in ingentem classem impetum audacissime faciunt, nautarum tibicines hymnos tuba tympanisque ludebant, non sine ingenti plausu atque admiratione Europæorum, qui tantum spectabant facinus. Yalu ad fluminis ripas Russorum illas legiones, quae supremum in hostes impetum fecerunt, tibicinum ludens agmen intrepidum comitabatur ad mortem, qui non ante confectam contubernialum caedem tympana vel fistulas cum ballistis mucronibusque commutaverunt. Cuius virtutis si quis eiusmodi specimina quaerit, Ienensem pugnam illam recolat, ubi Gallorum tibicinum turbæ Borussicis missilibus paene deletæ suarum legionum cursus fidelis sonitu stimulasse narrantur.

Mos est ab ultima antiquitate servatus musices modis ad militiam uti, qui vel virtutem in pugna erigant, vel labores in itinere minuant, vel exercitia in castris iucunda efficiant, vel motus in campo dirigant. Traiani columna, quae in Urbis foro eminet, huiusc tibicinum muneric testis est.

Ceterum vetustiora sunt quae ab historiis traduntur; et Hyerici tubae et Gedeonis tibicines, et argentea classica, quibus concio Hebraeorum advocabatur, aut copiae movebantur. Quum autem filii Israel, Salomone rege, potentiae culmen visi sunt attigisse, biscentum millia tubarum in templo reposita fuere, musicesque

organa quadraginta millia, quibus domi ludere sacerdotes tantum valebant; in belli autem militibus tradebantur.

Tubarum genera varia erant; nam et bucinae, et cornua, et litui habebantur, veraeque tubae, quae recta forma effingebantur. Graecis tibia ludere in bellis carum erat, lyraque animum erigere. Sibaritarum equi fistulis ludentibus saltare edocebantur, ita ut, hac arte usi in bello Crotoniates aemuli, consilientem equitatum eorum plane fuderint.

Romani contra tuba in bello cecinerunt, Liumque auctorem habemus de infelici Annibalism hac in re calliditate. Qui, Tarentinam urbem cum coepisset, signum tubis imitari romanum suos iussit, quo acies in campum convocabatur, ut eos ex arce educeret et captivos faceret; quamvis incassum, quum Romani rudiore ex tubae cantu rem suspicati, in arem contra confugerint.

Legiones in Galliam sua organa contulerunt. Ibi enim fictilibus cornibus concentus edebantur, quorum ad rythmum bellica carmina erant modulata. At christiana aetate nonnunquam ipsi sacrorum cantores, regem ad bellum sequuti, suas inter proelia voces edidere, ut sancto Aloisio rege in Palaestinam proficiscente contigit, quum manus musicorum regia *Veni Creator hymnum canens iter auspicaretur*. Aloisio autem XII rege, fusis Agnadelum ad oppidum Venetis, simili ritu ipso in pugnae campo Ambrosianus hymnus est conclamatus.

Rolandum illum celeberrimum ex equitibus Caroli Magni singularibus cornu insufflantem Roncisvalensi in clade periisse est omnibus notissimum. Condensem ducem Leridam oppugnantem fidiferi vigintiquatuor consequebantur dum vallum superat, pauloque post Bonnivetus tribunus, quem Albensis dux obsidebat, dum magis instant hostes, fidibus ludere in summis moenibus suos iubebat. Nocte quadam, Rodincomagnum dum oppidum oppugnatur, Galli duces, sonante cithara tubaque, choreas in vallo quotidie sub vesperam ducebant, quoadusque obsidentes Iberi submissa in fovea ignita pulvere, eaque incensa murum diruerint hostesque colludentes ruinis obruerint; unus superfuit, quamquam senex oculisque captus citharedus, qui, fidelis ductu canis in oppidum per ponticulum configit. Ludovico XIV rege, Monsia urbs dum obsidetur, conticuit extemplo tormentorum bombus, tibicinesque regii in summo colle, ad urbem appropinquantes, quem mane Galli superaverant, varios colludere cantus coeperunt, ut ob sessae urbis matronas delectarent, quas, ad rem duces opportune convocaverant.

Proximis nobis temporibus, dum Caieta urbs obsidione cingitur, tibicinum turbae, quas velites Neapolitani conscriptas habebant, octavo ante kalendas Februarias an. MDCCCLX, quum primum terra marique missilibus urbs petreteretur, coram hostibus inter munitiones bellique tormenta constiterunt, ibidemque ludentes tormentariorum nautarumque animum intra cladem erigebant, qui conclamantes et concinentes populares suas choreas, quas « tarantellas » vocant, morti occurrentes ducebant.

Postquam vero, Ludovico XIV rege, Lublyus et Philidorius certa signa certosque hymnos pro militibus modulati sunt, et in Namurensi



Raphaelis Sanctii tabula B. M. V. referens in caelo Assumptam.

(Photographice expresserunt FR. ALINARI, Florentiae).

obsidione triariorum cantus conscriptus est, nullus ferme magis efficax militaris concentus invaluit quam qui a Rogerio Islensi inventus Massiliensis nomine dictus fuit, quem Mayerbeerius ipse Germanus potentissimum bellicum concentum iudicavit.

Canere nunc hymnos Russici milites praesertim discunt, qui una cum tibicinum et cantorum, equitum alas habent praecipuis utentes organis, crotalis, tintinnabulis, quibus in pugna ludant. Ea inter tympanum adhuc maximi veluti pretii habetur, ita ut, quum capiatur

ab hostibus, inter bellica tropaea suspendatur. Eam ob rem maiores nostri tympanistam Africum habere, vel Africum gestantem habitum, consueverant, tympanistarumque magistrum eum esse volebant, qui procero corpore omnibus legionariis antecelleret. Hic quasi tribunus alter legiōnē dicens ornatissima veste indutus pulcherrimus militum dicebatur. Hanc gloriam Musarum ipsa Bellona dea crudelissima veneratur!



DE FESTO  
ASSUMPTIONIS B. M. V.

**D**E festo Assumptionis B. Mariae in caelo nonnulla scribentibus primum illa occurserunt S. Epiphanii verba (1) dubitantis an Deipara mortua fuerit; sunt immo alii qui id expresse negarunt, ob immaculatae conceptionis privilegium, quum praesertim mors poena sit peccati originalis, a quo Mater Dei fuit exempta. In has animadversiones scripsit Benedictus PP. XIV (2) adnotans primum nullam de B. Virginis obitu dubitationem oriri posse ex Sacrarum Scripturarum silentio; Evangelio enim nihil aliud contineri, quam Iesu Christi vitam usque ad eius ascensum in caelum; Acta Apostolorum res gestas complecti usque ad ea tempora, quum in suam quisque provinciam ad Evangelium predicandum profectus est; iis etiam comprehendi Acta ss. apostolorum Petri et Pauli usque ad iv Neronis annum et LXIII post Christum natum; reliquisque Sacris Apostolorum Scripturis non historicam, sed Evangelicam tradi doctrinam. Quod vero ad illud attinet argumentum, Beatam Virginem sicut pura fuerit ab originali labe, ita morti non fuisse obnoxiam, aperta lex est, quicumque natus sit, eum mori omnino oportere. Fide certo novimus – prosequitur Benedictus – Christum Dominum nulla peccati originali labe fuisse contactum: et s. Augustinus (lib. 2 *De Peccator. meritis et remissione*, cap. 29) docet, nisi in ipso aetatis flore fuisset Cruce necatus, pro naturali hominis conditione, aetati succedente aetate, tandem moriturum fuisse; carnem enim nostrae similem assumpsisse, licet ab omni peccato integrum.

Ceterum B. Virginem obiisse eiusque animam corpore fuisse seclusam antiquissima est Ecclesiae sententia traditioni innixa; quo vero aetatis suae anno atque ubi ea migraverit e vita quandoque fuerit in caelo assumpta quaerunt ecclesiasticae antiquitatis cultores; qui communius tamen asserunt eam annis septuaginta duobus natam Hierosolymis mortuam esse, quamquam Ephesi alii, nec iidem pauci, id evenisse putent. Benedictus XIV, quem supra memoravimus, neutrā ex his sententiam amplexus, de re concludit: « Illud... repetimus exploratum esse B. Virginem ex hac vita mi grasse, eius animam a corpore fuisse seiunctam, statimque, nulla vel minima mora interiecta, non solum beata visione fuisse praeditam, sed sublatam ad empyreum et exaltatam esse super choros angelorum. Eugenius enim IV in decreto *Unionis* sessione ultima concilii florentini definit “divorum animas, qui post baptismū susceptum nullam omnino peccati maculam incurserent... in caelum mox recipi et intueri clare ipsum Deum Trinum et Unum sicuti est, ; idque confirmavit Innocentius IV const. sub *catholicae* et Benedictus XI extravag. *Benedictus Deus*. Neque hic praetereundum... Beatae Virginis corpus paulo post obitum, incorruptibili et gloriosa temperatione suscepta, rursus cum anima coaluisse, et nunc in caelo esse: “Vir-

(1) *Haeres.*, 76.

(2) *De festis D. N. Iesu Christi et Beatae Mariae Virginis libri duo - Lib II, c. VIII, 4.*

ginis privilegium est, quod cum corpore suo, uti credimus, in caelo vivit „ – verba sunt Hugonis de S. Victore, lib. 3 *Erudit. Theolog.*, ex miscell. secundi Codicis, cap. 125».

Nihil aliud est igitur Deiparae Assumptio, quam gloria quaedam animae et corporis eius translatio, quae revixit. Illud inter ascensionem et assumptionem intercedit discrimen, quod ascensio de Christo, qui propria virtute ascendit in caelum; assumptio dicitur de B. Virgine, quae post redditum ad vitam peculiari privilegio corpore et anima in caelum sublata est, ut ait Spinellus (1); quamquam multo antea S. Petrus Damianus animadverterat (2): «Ascendit Salvator in caelum potestivae virtutis imperio, sicut Dominus et Creator, Angelorum comitatus obsequio, non auxilio fultus. Assumpta est Maria in caelum, sed gratiae sublevantis iudicio, comitantibus et auxiliantibus angelis, quam sublevat gratia non natura».

Non tamen «Fidei articulus» haec est B. Virginis assumptio; quaedam enim Scripturae loca, quae ad eam opinionem constabiliendam solent afferri, aliter etiam explicari possunt; nec eiusmodi est traditio, quae satis sit ad evehendam hanc sententiam ad gradum articulorum Fidei (3); verum «secus qui sentiunt ac loquuntur – cum b. Petro Canisio dicamus (4) – licet in errorem Sacris litteris adversantem non impingant, tamen non sapiunt ad sobrietatem; optimis et clarissimis Patribus contradicunt; a communi bonorum credulitate atque confessione, quae iam vim legis obtinet, non sine periculo sese subducunt, neque solum eximio dignissimae Virginis honori derogant, sed etiam vere divinum illud miraculum, quod in corporali Matris Domini resurrectione et assumptione refulget, ac mirifice angelos ac pios recreat, maiorem in modum enervant extenuantque».

Solempnia Assumptionis B. M. V. olim die Ianuarii mensis XVI sub titulo «dormitionis» et XVII sub tit. «depositionis» publico cultu recolebat Ecclesia. Hanc festivitatem in mensem Augustum d. XV a Mauritio imperatore translata fuisse contendit Florentinus (5), id quod probat Nicephori auctoritas (6). Unde iis assentiri non possumus, qui festum assumptionis saeculo tantum VIII initium sumpsisse affirmant. Certe Sergius papa, qui VII floruit, constituit ut «diebus Annunciationis Domini, Nativitatis et Dormitionis Sanctae Dei Genitricis semperque Virginis Mariae... letania exeat a S. Adriano et a S. Mariam populus occurrat»; ac proinde iam ante Sergium idem festum institutum fuisse probare contendit Benedictus XIV (7).

Ieiunium etiam quod huic solemnitati praecedit et ipsum antiquum satis credendum est, quum de eo tamquam de re in Romana Ecclesia usitata mentionem faciat Nicolaus I Pontifex creatus an. DCCC LVIII; qui respondens ad Bulgarorum quaestiones (8) scribit: «Secundum Sacra Decretalia in his etiam a licitis se qui-

(1) *Tract. de Maria Deipara*, cap. XII, n. 2.

(2) *Serm. de assumptione*.

(3) BENED. XIV, *op. cit.*, n. 18; *De Canonizat. Sanctor.*, cap. XLII, n. 15. — SUAREZ. III part., qu. 37, art. 4, disp. 25, sect. 2.

(4) Lib. V, *de Deipara Virg.*, cap. V.

(5) Cfr. *Ecclesiæ Occidentalis martyrologium*.

(6) Lib. XVII, c. XXVIII.

(7) *Op. cit.*, c. VIII, n. 29.

(8) *Collect. Concil. Labei*, tom. VIII, cap. IV.

busdam abstineat, quadragesimali videlicet tempore, quod est ante Pascha, iejunio post Pentecosten, iejunio ante solemnitatem Assumptionis S. Dei Genitricis et semper Virginis Dominae nostrae Mariae, nec non iejunio ante Natalis Domini nostri Iesu Christi festivitatem; quae ieunia Sancta Romana suscepit antiquitus et tenet Ecclesia». Apud quosdam Orientales populos denique non unius, sed plurium dierum iejunium est; ieunare enim incipiunt a kalendis Augusti usque ad diem xv, nec iejunium intermittunt praeterquam postridie Nonas in honorem solemnitatis Transfigurationis D. N. Iesu Christi.

Ut rivos claudamus, memorare iuvat ex Assumptione B. M. V. originem duxisse apud Graecos alium e titulis Deiparae attributis, *Panagiae* nimurum, id est sanctissimae, cuius nominis origo in *Horologio graeco* his verbis traditur: «Apostoli post Christi Ascensionem, quando ad mensam sedebant primum accubatum vacuum relinquebant ob reverentiam eorum Magistri et Domini Iesu; in quem locum super pulvinar partem panis, de quo concedebant, depositabant. Peracta autem mensa, in altum illum panem extollebant, precesque in gratiarum actionem recitabant, qui pius usus a singulis Apostolis per mundum dispersis continuatus deinde fuerat. At dum iterum in unum divina dispositione in Deiparae transitu congregati, post mortuorias functiones, scilicet, die tertio illius obitus, cum post mensam, solitam panis elevationem cum gratiarum actione ageant, apparuit eis Beatissima Virgo chorus Angelicis confumulata, quae aspectu iucundissimo eos salutavit: verum illi mente stupefacti animique laetitia excitati, confestim in tali caelesti visione solitas preces dimittentes: *Panagia Deipara adiuva nos* conclamare cooperunt; et redeantes ad Virginis sepulcrum eius Beatissimum corpus non invenere; quare certiores facti sunt illam anima et corpore in caelum assumptam fuisse. Ex hac historia originem habuit titulus Beatae Virgini eo modo quo diximus attributus...» (1).

(1) MACRO, *Hierotexicon*, voc. *Panagia*.

**SACRARUM MISSIONUM RECENSIO.**

**Q**UOD bellum Combesius in Gallos religiosos sodales movit, favente Deo non modo catholicae fidei non minuit ambitum, verum etiam fideles late auget, multiplicat, diffundit.

Profecto Augustinianenses sodales, qui a Deiparae Assumptione sumpserunt nomen, patria extores Turcae et Bulgari simul amplectuntur. Philippopolitanam enim, Adrianopolitanam Byzantinamque domos Felicianus Pater, iis in Orientis regionibus praefectus, data epistola florere nunciat. Nec quod desit aliud est nisi ipsi operarii, qui uberrimae messi occurrant. At seminaria iam duo eorum curis eriguntur: Graecorum iuvenum ephebeum Byzantii est; Slavorum Adrianopolim incolit.

Norbertus autem pater, Mostrattensi qui monasterio ad Bulgarorum fines praest, suas missiones late pandere rivos tradit per Lewka

oppida atque Deraiktepè et Poniakium; illudque monasterium quod recens arx veluti haereseos factum erat, catholicae fidei centrum hodie micat. Michaelis nomine sacra paroecia paucis abbinc mensibus constituta fuit, domusque sacris sororibus posita, qui pueris puelisque docendis ludus eset. Quamquam autem latentes in populo seditiones et coniurations infauste prohibent quominus tanti operis fructus uberior colligatur, incolarum tamen conversiones ad veram fidem non desunt.



Coreani contra christicolae infelicem profecto horam patiuntur. Nam quae huc tenus late florebat sub Mutelio Episcopo communitas multo sanguine confessorum cruentata iam nunciatur. Tong-Hak enim qui dicuntur, latrones ac sicarii, quotidie multiplicati, peninsulae oppida latius in dies vastant, exque Ku-nel-san monte, velluti ex aree, populaturi finitimas terras descendunt. Quotidianae itaque incursionses cladesque: Tai-tong christianum oppidum iam eorum crimine voratum igne iacet, neque Coreanis militibus vis est, quae tot scelerata coheat.



Quamquam solatii vehemens causa est Summum Pontificem Seicocu Iaponiam insulam Episcopo donasse iterum suo, Osaka ex dioecesi divulsam. Tradita terra est sodalibus Dominicanis, qui proximas Philippinas insulas incolebant, quique ex nova lege dimissi, saeculari clero suam provinciam relinquere coacti sunt. Fideles in insula sex millia recensentur, quae Hondo ex finitimo litore freto dividitur. Urbes eius praecipuae Ima-haru, Kotschi, Uvadima nomina habent.



Thibetana in terra, cuius barbarae gentes acerrimo odio Christi nomen hactenus prosequabantur, benevolenter hodie sacros praecones excipiunt, ita ut Lentsy et Ta-tsien-lon in urbibus sacram catechesim docentibus frequentes

adsint. Lythangii monasterii *lama*, eorum maximus, quum in Sinenses arma converterit, captus est capiteque damnatus, eiusque sacra aedes igni adusta. Inde *lamistica* fides brevi peritura videtur, quumque brevi Lhassam Angli occupaverint, Evangelii doctores eos facile sequentur.



Nigri fluminis in inferioribus ripis augetur late Fidei regnum. Oniska, Agulezi, Usubè in locis parumper novae fidelium communites succrescent. Benuè autem circa flumen, Sancti Spiritus sodales Ibiensem missionem condidere. At recens orta rabie seditio in discriumen grave universum laborem iam dedit. Opoto atque Ecumeu barbari eam moverunt, quibus una mens est, ut Europaeos omnes et Americanos uno ictu disperdant. Iamque Dekina urbs Eziaque statio flammis combustae traduntur.

Interim ea in terra aliquid faustum nonnulli Gallorum exploratores repererunt, iter scilicet dimensum, quo fluviali via Ciad ex lacu liceat Atlanticum oceanum per Benuensis fluminis fluctus attingere.



Quod vero philologis erit gratissimum, Dordillonii Episcopi operam Chauletus pater prosequutus, complevit, Marchesiana linguae lexicon praebens, eodemque condens sermone cathechismum et sacram historiam optimis illustratam figuris.

Qui sermo, etsi a Sandwickiana lingua aliquantulum differat, tamen cum ceteris sermonibus, quibus Polinesiani barbari et Australiani utuntur, multa communia habet.



#### ACTA PONTIFICIA.

Litterae Apostolicae, quibus Pio Operi de Fidei propagatione Patronus caelestis tribuitur Franciscus Xaverius.

PIUS PP. X.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM. In Apostolicum subiecti munus atque in ipso christiani sacerdotii

— Sane; peto ut homines ab opere abducam: forte scis iam plerosque opus deseruisse.

— Scio equidem; ut homines ab opere abducas! Miror vehementer....

— Ne mireris; scias velim me - (ne barbara vox te deterreat) - esse *socialistam*.

— Vix credibile narras. In quae tempora tandem incidimus! Nec te vapulaturum times?

— Quare vapulem, mehercule?

— Quod ordinem perturbas.... At Ferrius, celeberrimus ille Ferrius, orator a vestratibus electus legibus ferendis, aderit, quemadmodum puto.

— Ne putes; nimis notus est; adventantem arcerent praefecti tranquillitati publicae tuenda. Me, contra, pauci norunt, iidemque mei amicissimi, quos arbitror vix quum adsim praestore.

— Et quae tanta fuit causa operis deserendi?

— De causa me sciscitaris! Ipsa operis deseratio satis superque argumento est quod operarii minoris aequo conduceantur, nimioque labori insudare conentur.

vertice divinae clementiae dono collocati longe maiorem profecto sollicitudinem sustinendam suscepimus, quam quae Romani vigilantia gregis contineatur. Excessurus enim e terris Christus Apostolos iussit, et in his Petrum praecipue, quem non modo dignitate sed etiam caelestis gloriae studio praelucere ceteris voluit, gentes edocere universas, salubremque doctrinæ novae praedicationem ad remotissimas quaque aut immanissimas orbis partes afferre. Porro divinis praceptis obsequentes, Decessorumque Nostrorum clarissima exempla sectantes nihil esse magis officio Nostro consentaneum arbitramur, quam ut si qua ad patefaciendum Evangelii lumen atque ad proferendos Ecclesiae terminos videantur conducere, iis voluntatem omnem gratiamque impertiamus. Inter haec autem utilitate atque opera praestat Opus illud summa laude dignum, quod a *Fidei propagatione* noble nomen accepit. Huius origo Operis divino plane instinctu in medios homines profecta videtur.

Nam fidelis Ecclesiae populus, quia non in praedicanda Christi doctrina haberet sibi demandatam provinciam, consultum Dei providentia est ut stipe ac subsidiis Evangelii praecones iuvaret. Suasit hac de caussa caritas, qua in Redemptorem Christum optimorum hominum pectora urgebantur, fideles ex omni gente ac natione coalescere in unum, conferre ex opibus aliquid in expeditiones sacras submittendum, sociata etiam prece administris sacerorum succurrere, atque ita id assequi quod votorum summa esset, divini nempe regni in terris incrementum. Compertum autem apud omnes est id genus Sodalitatem praecolare de propaganda christiana fide meruisse. Quod enim suppetret unde catholicæ doctrinæ nuntii ad dissita ac barbara loca contendenter, beneficia illuc Religionis nostræ humanique cultus allaturi, tam nobilis coetus tribui largitati debet. Hinc initia salutis innumeris populis parta; hinc fructus animorum comparati tanti, quantos nemo aestimet rite, qui effusi per Christum sanguinis virtutem pernornit; hinc contra quam expectari a disiunctis hominum viribus posset Evangelii evulgandi legi mire obtemperatum. Haec Nobiscum Sodalitatis promerita reputantes nullo non tempore sensimus in coetum insignem Nos studio ferri, nec tamen illi pro tenui adiumenti parte defuimus, maiora tamen animo spectantes, si facultas, Deo propitio, daretur. Iam quoniam id Nobis Omnipotens Dei benignitas dedit, ut ex hac Petri Cathedra spiritualia fidelibus commoda dispertire possimus, praetermittere nolumus ut quem supra laudavimus coetum peculiari quodam benevolentiae argumento honestemus. Quae cum ita sint, omnes et singulos, quibus Nostræ hæ Literæ favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliquis ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quas forte

— Unde habes, amabo, rem ita se habere? Istud enim argumentandi genus haud plane probaverim. Sic arguis: Homines opus deserunt; bene ergo se gerunt. Hoc enthymema insigniter mihi claudicare videtur.

— Miror quod ista obiicias. Operarius, si ne scis, ni semper, plerumque tamen opus cum deserit iure utitur suo. Pactiones inter operis conductores et ventriosos istos divites expende; plerasque iniustas repieres, paupertate sua dente initas; ex quo facile coniicies herum eo magis ditescere dulioreque fortuna ebrium fieri, quo avidius proletarii cruento imbibitur. Aequa, mehercule! merces operariis distribuatur, et quae pecuniosis supersunt, capite censis donentur.

— Christi Evangelio omnino consentanea profers, praecipientis: « Uniuersum suum » et « Quod superest, date pauperibus ».

— Evangelium! Pol! in id credit qui vult; ad me quod attinet.... Lex superflui pauperibus distribuendi ab ipsa petitur natura. Dic tandem, virne « clericalis » es tu?

(Ad proximum numerum).

CRIVELLUS.

#### AESTIVA DIVERTICULA

##### In via ductu ferrea de socialismo colloquium.

**Q**uum superiore mense Augusta Taurinorum via ferreis axibus munita ad G.... oppidum diverterem, hominem plane mihi ignotum socium in curru habui, quocum ad horam fallen-dam contuli sermonem. Librum, eni titulus *Le travail* in sede iacentem conspicatus, virum putavi natione Gallum; quare sic sciscitor:

— Monsieur a lu ce livre, n'est-ce pas?

— Pas encore tout entier, monsieur. Nous italiens n'aimons pas à...

— Monsieur est italien donc? Moi aussi, je le suis.

— Dans ce cas nous pouvons parler notre langue, si ça vous fait plaisir.

— Quidni? quo tibi iter, si libet?

— Augusta Taurinorum digressus, G.... oppidum contendo.

— Optime! idem et ipse peto.

inecurrerint, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censemtes, Auctoritate Nostra Apostolica praesentium vi, quo cum externis Sodalitatis praesidiis tutela quoque et gratia de superis congruat, SANCTUM FRANCISCUM XAVERIUM caelestem eidem Patronum eligimus, damus, eique volumus omnes honorificentias tribui caelestibus Patronis competentes; huiusque diem festum, ut ad amplificandam ipsius celebritatem humanae quoque observantiae amplioris que lithurgiae accessio ne desit, Apostolica similiter Nostra Auctoritate per praesentes ad ritum duplum maiorem, servatis rubricis, apud universam Ecclesiam provehimus. Est huic Caeliti cum opere Fidei Propaganda ratio quaedam singularis et propria. Etenim cum vitam Franciscus ageret tanto animorum studio talique cum eventu ad imbuendos christiana veritate populos appulit, ut instrumentum Numinis electum in eo reviviscere non secus atque in ipsis Apostolis videretur. Quapropter spes Nos bona tenet coetum hunc nobilissimum maiora in dies incrementa, deprecatore Francisco, fore suscepturum, atque etiam ubertate fructuum, numero Sodalium, omniumque qui stipem conferant liberalitate ac diligentia eo deventurum brevi, ut hanc eminentem atque apparentem rem praestet sicut a Christo est Ecclesia condita, in qua salus credenti omni paretur, ita Sodalitatem Fidei Propaganda esse divino consilio excitatam, ut nondum credenti Evangelii lumen effulgeat. Quam quidem ad rem multum procul dubio proficient Catholicorum voluntates etsi disiuncte ac privatim liberales se praebent ad munera; verum nihil erit ad utilitatem praestantius quam si decurriati catholici viri conferant, quemadmodum est prudenter summa provisum. Scilicet quae minus inter se vires cohaerent minus valent ad causam, valent vero quamplurimum coniuncta et colligata ordine studia. Illas recte facere dicemus, ista etiam rite. Servator autem et instaurator humani generis Christus, cuius sanctissimo propagando nomini coetus incumbit, tegat gratia praesidioque opus: qui enim non auro vel argento, sed pretioso Filii Dei sanguine redempti vivimus divinam in primis opem contendere cum magna prece debemus. Haec mandamus, praecipimus decernentes praesentes Literas firmas, validas, et efficaces exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, siveque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut praesentium Literarum transumptis seu exemplis etiam impressis manu alieuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibetur, quae adhibetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die xxv Martii M DCCCC IV, Pontificatus Nostri Anno Primo.

ALOIS. Card. MACCHI.

EX SS. CONGREGATIONIBUS ROMANIS  
SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE.

Ex Congregatione Sacrorum Rituum:

— Festa S. Benvenuti Auximani episcopi et confessoris I Ordinis S. Francisci et S. Agnetis Assisiensis, Virg. II Ordinis, a ritu duplice maiori ad duplum II classis pro universo Fratrum Minorum Ordine evehuntur. (Ex deer. d. XII Mart. a. M DCCCC IV).

— In sacramentis administrandis atque in deferendis defunctis habitum canonicalem induere minime licet. (Ex deer. d. XII Mart. an. M DCCCC IV).



DIARIUM VATICANUM.

(Die XXI mens. Iunii — d. XXI mens. Iulii M DCCCC IV).

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos antistites aliosque ministros, qui sui cuiusque munieris gratia Pontificem de more adiverunt, inter clariores viros apud Ipsum admissos peculiari nota digni sunt, iuxta admissionis diem: nobile Urbanum ephebeum, cui ab excēna domo Ghisleria nomen; Antonius Ruffo della Scaletta, princeps Urbanus; Stephanus Ehses et E. Wuescher-Becchi doctores; Von Bilguer dynasta; Dux olim Parmensis eiusque uxor; p. Andreas Fröhwirth, Ordinis S. Dominici iam Magister generalis; societas S. Ioachim de Urbe ab emō card. Andrea Aiuti coram adducta; Augustus Ferreira, Brasiliensis legatus extraordinarius apud Russos, iamque apud Apostolicam Sedem civitatis suae administer; p. Schuler, Ordinis Min. S. F. minister generalis; excēns vir Camillus Rospigliosi, princeps Urbanus, nobilium sti- patorum Pontificiae cohortis dux.

Pontificiae electiones.

Franciscus Volani ex Istria inter Protonotarios Apostolicos ad instar participantium refertur.

— Basilius Pompili, antistes Urbanus in saer. Consilium XII virorum litib. iudicandis (vulgo S. Romanae Rotae auditorum) adsciscitur.

Varia.

Die XXVI mens. Iunii coram SSmo primum congregatur Purpuratorum collegium ad Ecclesiae leges in unum redigendas electum.

— Die XXIX Pontifici offertur numisma ex auro, argento aereque ductum in memoriam anni I Pontificatus eius. Ex una parte Pii X imaginem praebet, quam verba haec coronant: PIUS X PONT. MAX. AN. I; ex altera Eius insigne his verbis circumdatum: SACRO PRINCIPATU FELICITER INITO PRID. NON. AUG. AN. M DCCCC III.

Eadem die sacra pallia archiepiscopis atque episcopis conferenda hoc privilegio utentibus Pontifex sollemni ritu benedit.

— Die I mens. Iulii in aula S. Consistorii leguntur decreta: a) ut tuto procedi possit ad beatificationem V. S. D. Gasparis Del Bufalo, canonici Marciani de Urbe, Congregationis Missionariorum a Pretiosissimo Sanguine D. N. I. C. conditoris; b) de miraculis a Deo patratis intercedente V. S. D. Stephano Bellesini ex Ordine Eremitarum S. Augustini.

— Eius Purpuratus Pater Vincentius Vannutelli Pontificis legatus deputatur ad dedicationem cathedralis templi in Ibernica urbe Armagh. Eum comitantur torquati equites Franciscus Mac-Nutt et Partritus Mac-Swiney de Mosanglass ex intimis cubiculariis ab ense et clamide, Franciscus Ciocci ex collegio antistitutu a caerem. pontif. atque Andreas Bernardini canonicus Praenestinus.

— Die XII mens. Iulii in aedibus Vaticanis habetur Sacr. Rit. Congregatio ordinaria ad disceptandum: a) de resumenda causa beatif. et canoniz. V. S. D. Francisci Gonzaga, episcopi Mantuani ex Ordine Min. S. Fr.; b) de signanda commissione in causa beat. et canoniz. V. S. D. Gresteni de Iacobis, episcopi Nilopolit. et Vicarii Apostolici Abyssinen., e Congre. Missionum; c) de confirmando cultu ab immemorabili tempore praestito Arialdo, Mediolanensis ecclesiae diacono, sancto nuncupato; d) de revisione scriptorum S. D. Iosephi de Carabantes, sacerdote professo Ordinis Minorum S. Francisci capulatorum; e) de confirmanda atque adprobanda electione Immaculatae Conceptionis B. M. Virginis in oppidi Buccini patronam; f) de eligendo S. Michaeli Archangelo patrono primo Mexicanae dioecesis vulgo *Aquas Calientes*.

— Die XX in basilica Vaticana Pontificia Cappella habetur ad iuxta funebria solvenda Leoni PP. XIII, prima anniversaria die ab eius obitu recurrente.

Vita functi viri clariores.

Manillae, excēns vir IOANNES BAPTISTA GUIDI, archiepiscopus Staupolianus, legatus apostolicus ad insulas Philippinas, Colleopardi in oppido Aletrinae dioecesis natus an. M DCCC LII.

ANNALES.

*Iaponicum bellum.*

Iaponici belli vices mentes animosque omnium ad se indesinenter trahunt, iamque omnes navalem sive terrestrem pugnam exspectant, quae, magnis urgentibus pluviis, indutias quadammodo armis imponat. His igitur de caussis credendum est Iaponios summa ope niti ut quo ulterius progrediantur, ad Liao-Yang loca praesertim, ubi ad semicirculum sese producere frequentibus concursationibus visi sunt, cuius centrum ferrivia Kaiping-Liao-Yang esset. Neque tamen ab Arthuro portu sese abstinerunt, quin etiam oppugnationis opera alaci vi prosequuti sunt, locis occupatis haud ab urbe longinquis. Fama fuit Russicam classem in altum exiisse hostesque plane profigasse; verum huiusmodi nuntio fides minime addita; contra Kaiping urbs, Liao-Tung in sinu, captam a Iaponiis innotuit, qui deinde novum iter ut Russos circumvenire aggressi, hinc ad New-Chang, Oku duce, tendunt, inde Taku-shan ducis bifariam acie distributa, ex transverso Taki-Chan petunt. Kuroki quoque imperatoris exercitus, qui ad septentriones procedit, in agmina aliquot divisus appetit, alterum in Mukden urbem actum, alterum ex angustiis Motien-Ling ad Liao-Yang; tertium denique ad Hei-Cheng. Dum scribimus novas Iaponiorum victorias ad Yanzel-in et Kuan-tai-chao nunciantur, magna hominum utrinque elade.

★

*Thibetana Anglorum expeditio.*

Dies quum praeterisset ab Anglis statuta ut Thibetani a vi recederent, quumque hi pacis consilia minime essent amplexati, Anglorum acies iter Lhassa, ad urbem populi sacram, intendit, quo certe primis Augusti mensis diebus perveniet, eoque praesertim quod valida subsidia, Macdonald duece, acceperit, atque Thibetani negotiatores liberam passim viam relinquent.

★

*In Turcarum imperio seditiones.*

Quamquam inter sese disiuncti, Balcanici tumultus perseverant, in ferrivias praesertim, quae a Salonicco ad Uskub ducunt. Non vero ii sunt, qui cura singulari aut sollicitudine nova afficiant, quemadmodum ipsum Imperiale decretum recens editum testatur, quo subsidiarie copiae omnes in Macedonia dimissae sunt.

Apud Armenos contra — uti proxime Erzerum et Sassun in urbibus — concursus inter incolas et Turcas milites subsequuntur, pro victis, uti necessario fit, iis abeuntibus. Gubernium tamen benevolos satis videtur sensus in Armenos ostendere, ita ut Tripolim in exsilium mittere non dubitaverit praefectos duos ex Kurdomur gente, Armenis maxime infensos.

★

*Americani motus.*

Non de civitatibus foederatis nordicæ Americae scribo, ubi ad comitia de praeside renovando partes iam pro suis candidatis acribus verbis dimicant; sed assiduas cruentasque contentiones recolo, quibus res publicae Australis

Americae pessumdantur. Quamquam enim in Chilensi civitate res cedere alinquantum videntur, obsidionis, quem dicunt, statu amoto; fœdusque ictum nunciatur inter Brasiliam et Peruvianam rempublicam, quo novum bellum de finibus utriusque regionis amoveatur, in hac tamen civitate, sicut in Uruguayanâ, civilia iurgia flagrant.

#### Pacis foedera.

Inter tot tantosque belli rumores placet Europaea pacis indicia in annales referre. Fœdera dico, quae de arbitris adeundis tum inter Galliam et Scandiam, tum inter Angliam et Germaniam his diebus sancta sunt; quorum alterum, praesertim post colloquium Kiel in urbe habitum inter Eduardum regem et Guillermum imperatorem, maximi momenti appareret, clare confirmans amicitiam inter potentissimas Europæ nationes in dies augeri arctio-remque fieri.

#### PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS.

In Anglia multa de re militari innovanda in examen habita sunt, atque de potionibus alcoolicis lata lex.

In Bavaria a liberalibus, qui dicuntur, rogatum de civili constitutione corrigenda, ita ut Luitpoldus, qui regis munus exerceret, imperium civitatis prorsus obtineat. Ipse vero Luitpoldus rogationi adversatur.

In Gallia Combesius eiusque filius repetundarum in Carthusianos monachos accusati, solemini voto innocentia facti. Legem de abolendis religiosis congregationibus in puerorum eruditioinem incumbentibus senatus ratam habuit.

In Hispania foedus cum Pontifice de vetere «cordato» emendando ab utroque coetu sanctum. Nova autem rei militaris ratione abprobata, feriae indictiae.

In Italia rebus pecuniariis provisum, atque latis nonnullis legibus haud universalis momenti, coetus pariter dimissus.

#### PER ORBEM.

Si quo omnes urimur torrido Iulii mensis calore atramentarium hoc meum tandem aliquando aresceret, haud tamen lectoribus sperandum foret sese posse a calamitosis menstruis narratiunculis tandem aliquando solvi. Habeo enim Mexicana in republica unde nigerrimos fluctus ad hominum tristitias enarrandas deducam.

Palapa est urbs Verae Crucis in provincia ubi leetissimum liquatur atramentum ex arbore, quam incolae *Escole achnitl* nuncupant ex Palensi Sangrensi genere. Iamque hoc anno in Germaniam ingens huiusmodi liquidi copia immissa est, quas produxerant regiones Palapa, Vinius, Texpoco, Hauxtlan finitimaque, oborienti commercio felicissimum omen, at humanitati omni, tanto iam atramenti oceano demersae, miserrimum sane.

Nescio tamen an novo hoc atramento sua pocula expleverint nautae Zelandenses, qui *Viscovery* navgio, ad Australem polum tendunt, eius ut finitima maria perlustrant. Hi tamen sua gesta certo certius aeterna facient indomita virtute, quamvis scriptores defuerint. Navis

itaque eorum Terræ-novae iam tenuit oram, *Morrung* una cum navgio, quod ei obviam auxilio est submissum.

Nec tamen digna pariter, etsi multis celebrata clamoribus, memoria perenni itinera erunt, quae Poenus ille regulus, Gallorum ditioni subditus, Lutetiam invisorus suscepit. Quae mari primum mox terra quum feliciter complevisset, urbem caput tenuit, maxima ovante multitudine illa, quae proximis ante diebus non minore plausu in theatro exceperat musicam actionem a Iosephio Verdio iuvene tum conscriptam, cui *Vates* (italice *il Trovatore*) nomen; unde clare patet felicissimam italicæ musices gloriam integre adhuc omnem vincere terrarum orbem.

Sed dum regulus militaribus pompis adest, dum urbem lustratur, haud aequum fuerit memoriam praeterire subcenturionis cuiusdam nomine Crousse ex tormentaria legione XXXVI, qui profecto, Roma adhuc stante, meruissest Quinti Curtii fatum sortiri. Namque nullus adhuc eques tam agili saltu equum exercuerat quam iuvenis ille complevit, ex imo in altum duo metra usque et centimetra duodecim transgressus.

Quamquam haec nihil sunt nostris cum salibus si comparaveris. Qui iam Lutetia ex urbe Pamplonam currimus ut tauromachiae adstemus, in qua taurus tamen miserrimo fato, fractis funibus quibus erat captivus, arenam ex improviso invadit. Feliciter vero caedes adstantium a fera bellua parta minor est quam erat credibile: vulnerati enim sexdecim cornuum ictu redeunt, enecati tantum duo.

Iberica misera fata non omnia tamen recolam. Vallisoletanas terras horrida tempestas vastavit sataque passim delebit, pecudesque occidit, homines fulminis ira percussit, familias ad centum opibus expoliavit. Caesaraugustae prope fines ferreæ vehes, in ponte quo Ialicum flumen transvehitur, e tramitibus aberrantes ignis praeda sunt factae; plurimi inde vel occursu vel flammis absumpti vigiles sunt, qui in curribus iter faciebant.

Mydyale in Americae Nova Gerseensi republika, similia inter duas vehes, alteram alteri occurrentem, contigerunt, quorum incursu ad quadraginta usque victimæ mactatae dicuntur. Sit tamen venia, si inde Manilam ad urbem discurrimus, ut memoremus horridam procellam, quae finitima pariter ibi arva pessumdedidit oppidumque in monte Sancto Ioanni sacro plane abrasit non sine ducentorum virorum clade.

Attamen maritima infortunia pessima omnium postremo tempore visa sunt, quae Americanos et Danos perculerunt. Norge navigium recolo, quod tristi fato in Rockallensios altissimos scopulos decidens undarum praeda perit; Danorum ex urbe capite Neo Eboracum iter navi erat, Norvegos exsules septingentos deferebat et Danos et Finlandenses. Quae iam tot miserorum

fato digna querela? Scaphae navigio octo praestabant; quarum tres brevi fluctibus in scopulos confractae, tres procellae vi demersae, in altum duae tantum eductae. Earum altera *Shetland* ad litus post dies octo appulit quum fame paene sitique universi viatores iamiam perirent.

Minuat tandem aliquando et avertat tot maris infortunia posita in Rosano Britonum promontorio *Deiparae marmorea* *imago*, quam solemnisima pompa nautae ex omnibus finitimi portibus, multis adstantibus sacerdotibus, elatam et sacratam conlato aere volvere.

#### AENIGMATA

a FR. PALATA proposita.

##### I.

Progreder numquam, progressum quippe negavit *Cancer*  
mi natura iubens me retro ferre gradum.  
Si mihi mutatur tantummodo litterula una,  
obiice ferrato domoque reos.

##### II.

Almae sum munus Cereris. Sed si mihi frontem  
mutabis, galeam condecorabo tuam.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Commentarii moderatorem miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet I. B. FRANCESIA comoediam latinis versibus scriptam, cui titulus:

SATURIO.

Aenigmata an. VII, n. V proposita his respondent:

1) Cochlear; 2) Captor, Carptor.

Ea rite soluta miserunt:

E. Burg, *Argentorato*. — F. Arnori, *Mediolano* — Io. B. Pesenti, *Sentina ad Bergomum*. — Fr. Xav. Lang, *S. Martino in Austria*. — Ios. Walter, *Neo Eboraco*. — Petrus Tergestinus. — I. Waver C. SS. R., *Vaals*.

Sortitus est praemium:

Io. BAPT. PESENTI.

ad quem missa est

JOSEPHI ROMEO

AD PIUM X PONT. MAX.

OB SOLEMNIA NOMINIS

ELEGIA.

Primum tantum aenigma rite solutum miserunt:  
Car. Stegmüller, *Sabaria*. — Guil. Schenz, *Ratisbona*. — Max. Kohlsdorfer S. I. — A. Libani, *Civitanova Picena*. — Civis Romanus, *Bremerhaven*. — I. Menky, *Belle-magny*. — Aug. Paul, *Brasovia*. — F. Skiba, *Brestau*. — Nic. Malyniak, *Krasiezy*. — Senior Astensis. — Aem. Geschwind, *Praga*. — Cam. Straschill O. F. M., *Villaco*. — Fel. Dacomo, *Alba*. — Aug. Parrado, *Vallisoteto*. — Ant. Hilger, *Roma*. — Aug. Tafani, *Florentia*. — Cos. Cerasuoli, *Aesernia*. — Ioan. Cantono Ceva marchio, *Vercellis*. — I. Fox, *Villancourt*. — Aug. Scriban, *Buzau*. — Andr. Haberl, *Moedling*. — Ab. Ballerini, *Novocomo*. — Andr. Sapay, *Pruzsina*. — Collegium Scholarum Piarum, *Stellae*. — Alf. M. de L. Ramirez et Moragas; Cam. Guma et Iulià, *Barcinone*. — G. Becker, *Puttelange*. — Mich. Vidal, *Palma in insula Maiorica*. — Am. Robert, *Marieville*. — Bon. Kansel O. S. B., *Isabel*. — Alois. Berthé, *Nicea ad Varum*. — Alex. P. Gest, *Lamberville*. — Th. Questa, *Sostegno*. — Alois. Cappelli, *Senis*. — Franc. Szymanski, *Niesronno*. — Zvirzina par, *Lohnau*. — Henr. Tarallo, *Neapoli*. — Arn. Rudzianski, *Tiflis*.

#### LIBRI RECENS DONO ACCEPTI.

Can. ANDREA APEDDU. *Saggi critico-academici*. — Bosae ex typogr. Episcopali, 1903.

M. Tullii Ciceronis de officiis liber II. Recognovit notisque dativit IOANNES DECIA. Aug. Taurin., Romae, Mediolani, Florentiae, Neapoli edid. I. Paravia et soc., 1904.

COLOMER B. La Bibbia e le teorie scientifiche. — Romae edid. Desclée, Lefebvre et soc., 1904. (Ven. lib. 0,60).

P. F. PRAT S. I La Bibbia e la storia. Traduzione italiana sulla prima francese. — Indidem. — (Ven. lib. 0,60).

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina Pacis Phil. Cuggiani.

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS  
Comm. VOX URBIS in an. MDCCCCIV.

---

Pretium subnotationis est in Italia Libell. 4,80; ubi-  
que extra Italiam Libell. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5; March. 5;  
Rubl. 3; Coron. 6,25 *recto tramite* mittendum ad

ARISTIDEM LEONORI EQUITEM  
COMMENTARII "VOX URBIS", POSSESSOREM ET ADMINISTRATOREM,  
ROMAM, via Alessandrina, 87.

---

PRAEMIA SOCIIS CONSTITUTA

ad libitum:

- a) Tabula metr.  $0,45 \times 0,22$  Pontificiae dominationis au-  
spicationem referens a Pio PP. IX an. MDCCCXLVI  
peractam, et in Commentarii "Vox Urbis", commo-  
dum unice ex antiqua tabula desumpta; *sive*
  - b) Collectio chartularum electissimarum, quae distincta  
coloribus praecipua Romae, aut eius vicina red-  
dunt; *sive*
  - c) Urbis et Ianiculo monte prospectus. (Tabula aere cusa  
metr.  $1,10 \times 0,24$ )
- 

Donum, quod voluerit, quisque subnotans petet  
***primum intra mensem ab eius subnotatione*** et cum  
ipso subnotationis pretio.